Petitorium quo Absolutus est Gerontius Puer Agapiti (Latin)

Magnus Felix Ennodius (AD 474–521)

SermonIndex.net / Church Fathers

Petitorium quo Absolutus est Gerontius Puer Agapiti

Viii. Petitorivm Qvo Absolvtvs Est Gerontivs Pver Agapitl

Deus arbiter uniuersitatis et conditor illa res humanas lance dispensat, ut et fideles praemium et poenam rebelles excipiant. lassis enim deuotorum obsequiis ualitudinem tribuit, dum muneris oblatione succurrit. perdit laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus, quotiens illi uicissitudine subuenitur: in antiquum sudoris iuuenescit affectum qui necessitatem gratiae melle conmutat: sanctorum poenae, dum corona quaeritur, abiurantur. cui dubium est, quod nec ad caelum sine fiducia remunerationis adceditur? imitanda sunt mortalibus duce sapientia illa, quibus aeternus ordo conponitur: secuturus est actibus animus, unde sumpsit originem, dum deo deuote famulantes quod praestolamur offerimus. a superna enim conuersatione non discrepat qui talem obsequentibus inpendit dominum, qualem sibi uult esse salutis auctorem. Gerontium itaque, cuius a me conperta fides pudor integritas et exigit libertatem et suis dotibus innotescit, per praesens petitorium a beatitudine uestra Romanae deprecor ciuitatis gaudere consortio, cuius ego absolutionis non tam largitor quam testis existo : abiecta enim esset natura designati, nisi moribus uulgaretur. hunc quidem sum dudum interueniente commutatione mercatus, sed quia nullum est maius commodum quam illud quod serenum examen adsequitur, elegi palmam iudicii quam de adquisito habere compendium. ostendit mihi iusta praedicti seruitus personam non esse seruilem. ergo nominato non tam cupio ingenuitatem tribui quam refundi. scio quod recte uile nomen expulerit qui ante ingenuus credi meruit quam uocari. remisso ergo ab eo quod mihi debebatur obsequio, quam suam esse conuersatione docuit, eidem restituo libertatem, supplicans coronae uestrae, ut gestis ecclesiasticis ex omni obnoxietate soluatur, ut perpetuo Romanae urbis possit exultare collegio, omni peculio suo sine aliqua inminutione concesso : nec fas est ei de adquisitis quicquam minui, quem polliceor donis etiam potioribus subsequendum.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Magni Felicis Ennodii Opera Omnia*** edited by Wilhelm Hartel (Vienna, Gerold: 1882) Corpus Scriptorum Ecclesiastico-

rum Latinorum 6), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.